



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1715. usque ad annum 1718

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 13322648**

§. 40. Declaratio Facultatis Theologiæ Nantensis contra factam  
Constitutionis, acceptationem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67649)

Sæc. XVIII

A. C. 1716.

„Hæc cum ita sint omnia, maxi-  
 „mum operæ pretium esse duximus  
 „ut illustrissimam Dominationem ve-  
 „stram veritatis hujus commonefacere  
 „mus, cujus detectione tam ingentium  
 „mendaciorum Authores, sin minus  
 „erubescant, omnem quippe pudorem  
 „exuerunt & verecundiam, linguas  
 „saltem improbissimas contineant, quibus  
 „nostram erga Apostolicam Sedem  
 „averfati obedientiam, fidelitatem  
 „constantiam, turpissimas famæ nostræ  
 „nominique dedecoris umbras offude-  
 „runt. Quo etiam fiet, ut ii omnes  
 „qui seu perduellibus faventes magnam  
 „alacritate, & gaudio seu religioni, &  
 „obedientiæ dediti, admiratione stupore  
 „reque calumniam exceperunt, ab omni  
 „tandem existimatione depulsi, ad pro-  
 „stinam regrediantur opinionem, glo-  
 „riamque, & famam & honorem a præ-  
 „decessoribus nostris magnis in Eccle-  
 „siam Catholicam, remque literariarum  
 „meritis acquisitam, huic nostræ Ac-  
 „demix restituant.„

## §. XL.

*Declaratio Facultatis Theologiae  
 Nannetensis contra Constitutio-  
 nis acceptationem.*

Rem

Renatus de Beauvere Nannetensis Sæc. XVIII.  
 Episcopus jam Mense Martio anno A. C. 1716.  
 hujus sæculi decimo quarto datis lite-  
 ris suo Vicario Generali præcepit, ut  
 Facultati Theologicæ Constitutionem  
 Pontificiam unacum mandato exhibe-  
 ret, & utrumque ad tabulas referri pe-  
 teret: Eidem quoque Vicario injunxit  
 Episcopus, ut Facultatis mentem, nec-  
 non Doctorum, qui fors sese opposituri  
 essent, nomina eidem integra fide in-  
 dicaret: Hujus Facultatis Doctores se-  
 ria mente perpendentes, quod hujus  
 Bullæ acceptatio in generalibus Cleri  
 Gallicani comitiis facta fuisset, probe  
 prospiciebant, hanc Constitutionem  
 aut esse acceptandam, aut Præsulum  
 Regia auctoritate suffultorum indigna-  
 tionem esse subeundam: quocirca die  
 decima quinta Maij eo promptius ob-  
 temperabant, quo certius ex Parisinæ  
 Facultatis decreto hanc Bullam ab ea-  
 dem quoque receptam fuisse intellige-  
 rent: Postea tamen Nannetensium Do-  
 ctorum nonnulli a turbidis Parisiensibus  
 Theologis incitati hanc Bullam ali-  
 ter, quam *relative ad Instructionem Pastro-*  
*ralem* recipere volebant, declarantes,  
 quod duntaxat doctrinam in hac instru-  
 ctione contentam acceptare velint, ut  
*palam fiat omnibus, Sacram Facultatem*  
*inhærerere Doctrinæ in documento Pastoralis*  
 expli-

*Temoignag.  
de l'Univ.  
de Paris  
pag. 385.  
Extrakt. ex  
Regist. Fac.  
Nann.*

Sæc. XVIII *explicatæ*. Hic acceptandi modus  
A. C. 1716. splicuit ceteris Doctoribus, qui hæc  
 ipsa verba in suo Facultatis decreto  
 corrigi, eisque hæc subrogari jusserunt.  
*Sacra Facultas inhærens DOCTRINÆ CON-*  
*STITUTIONIS in documento Pastoralis ex-*  
*plicatæ &c.* Hoc decretum ita eme-  
 datum die prima Junii, ut confirmate-  
 tur, rursus Facultati proponebatur  
 vehementer vero sese opponebant qui-  
 dam Doctores, nihilominus tamen  
 hoc decretum unanimi suffragio fuit  
 confirmatum. Cum vero refracta-  
 rii Doctores Ludovici Regis obitu  
 mutatam rerum faciem intelligerent  
 atque a Parisiensibus Magistris factam  
 Constitutionis acceptationem impo-  
 oppugnari cerneret, eorum sexdecim  
 palam cristas erexere, ac die secunda  
 Januarii hoc anno Parisinæ Facultatis  
 exemplo animati, primum Facultatis  
 decretum die decima quinta Maij tan-  
 quam veritati & justitiæ contrarium  
 abrogantes aliud condidere decretum,  
 quod ex actis hujus Facultatis extra-  
 ctum hujus est tenoris:

*Syndicus dixit, se frequentius audivisse  
 Decretum de Constitutione Unigenitus ac-  
 ceptanda, unacum documento Pastoralis &  
 in tabulas publicas referenda, conditum a  
 S. Facultate die decima quinta Maij Anno  
 1714. & approbatum die prima Junii e-  
 jusdem*

jusdem anni, multis esse offensionem, utpote Sæc. XVIII.  
 ambiguum, nec satis exacte juxta æquitatis A. C. 1716.  
 & veritatis Regulas promuntiatum. Hanc  
 autem offensionem ortam esse, inquiebat  
 Syndicus, præter mentem S. Facultatis,  
 cujus mens unice fuit, doctrinam acceptare  
 documenti Pastoralis, quod documentum,  
 quia videtur nunc insufficiens, plerisque e-  
 tiam Doctorum, quos ambiguitas præfati  
 decreti offendit, suadentibus, requiritur præ-  
 dictum decretum relegi, ut emendetur, si  
 visum fuerit, vel etiam abrogetur, eaque  
 propter S. Facultas illud recognosci statuit:  
 quo exacte recognito Doctoribus palam af-  
 firmantibus se nec Constitutionem recipere,  
 nec quicquam erroris Authori Consideratio-  
 num moralium in N. T. tribuere voluisse.

Declarat S. Facultas, decreto de Constitu-  
 tione Unigenitus cum documento Pastoralis  
 acceptanda & in tabulas publicas referenda  
 condito a S. Facultate die 15. Maij Anno  
 1714. & approbato die prima Junii ejus-  
 dem anni, nec mentem S. Facultatis satis  
 esse expressam, nec satis æquitati & veri-  
 tati fuisse consultum, quapropter, ut omnis  
 scandalo locus amputetur, præfatum de-  
 cretum S. Facultas supprimit, abrogat, &  
 rescindit.

Huic decreto mox sese opposuere  
 sex Facultatis Doctores, solemniter inter-  
 cessione adjecta. Quamprimum vero  
 Nannetensis Episcopus temerarios hosce  
 quo-

Sæc. XVIII. quorundam Doctorum ausus comperit, hujus decreti indignitate commotus, illius Auctores vehementer obprobrogabat, eosque omnes interdicto suspensus, & suis officiis amotos, necnon excommunicationis comminatione terribitos obstrinxit, ut Alexandri VII. Innocentii X. & Clementis XI. Constitutionibus subscriberent, omnesque S. Ordines promovendi pollicerentur se nequaquam in Patrum Oratorii Scholis Theologiæ vacaturos. Hæc Episcopi sententia refractariis Doctoribus eo molestior acciderat, quo gravius adhuc dolore compererant, quod praeterea Franciscus de Grillon Venaticus Episcopus suis Diæcesanis, ne Navenensem Universitatem frequentarent, inhibuit, ni ab Ecclesiastico Ministerio in perpetuum excludi vellent. Igitur hi Doctores inter arcta pressi, datis literis die duodecima Februarii Parisinae Facultatis præsidium implorarunt, supplices, ut ea pro Religionis defensionem suas illis vires jungere, eorumque causam apud Regni Regentem fulcire vellet. Ad has literas die duodecima Junii Parisinae Facultatis Doctores responsum dederunt, in quo Aurelianensem tanquam Principem justum & prudentem, suæque parti addictum prædicantes, contra Toloniensis Episcopi decretum

declarationem die 25. Aprilis editam, Sæc. XVIII.  
& contra libellum sub titulo: *Epistola* A. C. 1716.

*Episcopi . . . . ad Episcopum . . . .*  
vehementer querebantur, hæc autem  
scripta a Parisino die undecima Maij,  
& a Provinciali Parliamentis proscripta  
fuisse referebant, ac denique Senatus-  
consultum Rhemensis Parlamenti in  
favorem sex Theologorum Rhemensium  
editum brevi Nannetensem Facultatem  
in tuto collocaturum præfagebant.  
Hanc Parisinæ Facultatis epistolam  
Nannetenses ad acta retulerunt, & Bri-  
tanniæ Parlamentum die decima tertia  
Novembris libellum ita inscriptum: *Re-  
sponsum ad Epistolam novi Catholici circa  
nuperam Constitutionem, & alium sub  
titulo: Historiam Core, Dathan & Abi-  
ron* suppressit, & Nannetensem Uni-  
versitatem in suis privilegiis atque im-  
munitatibus protegens, Episcopo in-  
terdixit, ne in suo Seminario publicas  
scholas aperiret. Hic vero suum de-  
cretum a Facultate suppressum indigna-  
tus, quosdam Doctores e suo seminario  
ejecit, alios suis officiis amovit, &  
nonnullos a Diœcesi expulit, ac pro-  
pterea acceptis gratulatoriis literis a  
Bentivolio Pontificis Nuntio commen-  
datus est.